

Boleslaw dux Mazovia undecim cum
medio mansos Petro Pietrzyk donat,
eosque iure Culmensi locare permit-
tit. etc.

41

In nomine Domini amen. Ad perpetuam
rei memoriam. Boleslaw Dei gratia dux
Mazovia, Russia, nec non terrarum War-
schoviensis, Sochaczoviensis, Gosti-
nensis, Sacroczimiensis, Belzensis etc. domi-
nus et heres. Significamus tenore presen-
tium quibus expedit generaliter universis
tam presentibus quam futuris harum no-
titiarum habituris, quomodo attentis et con-
sideratis fidelibus servitiis nobis per nobi-
lem Petrum Pyetrzyk de Clukoschino tubi-
cenam nostrum impensis, et in futurum ma-
iori et aucto studio adiuvante Do-
mino impendendis, horum igitur servitiarum
ob respectum sibi Pyetrzyk tubicinae nostro,
ac suis successoribus legitimis, undecim
cum medio mansos mensurae Culmensis
Kramkowo nuncupatos in districtu Warscho-
viensi prope Nur sitos, penes granicies Nu-
renses incipiendo a fluvio Bug et Kossa-
kowskye, et iacentes, in longum
et latum, velati huiusmodi undecim cum
medio mansi in suis signis, metis, limi-
tibus, scopulis et graniciebus sunt circumi-

Feren:

ferentialiter distincti et limitati, et quemad-
modum eisdem soli tenuimus, habuimus et
possedimus, cum omni iure, proprietate et
dominio, ac omnibus et singulis utilitatibus,
fructibus, redditibus, proventibus, censibus, emol-
limentis et obventionibus generaliter univer-
sis, quibuscumque nominibus nuncupentur, meli-
ficiis diutaxat exceptis, ac pro nobis et no-
stris successoribus reservatis, nihil pro nobis
in eisdem penitus reservantes, et qui vel
quae per humane rationis industriam adin-
veniri seu accrescere poterint quomodolibet
in futurum, dedimus, donavimus, vendidimus,
ac voce irrevocabili resignavimus, damusque
donamus, et tenore presentium resignamus
perpetuae et in aevum. Quare sit licitum praer-
nominato Petro, ac suis successoribus legiti-
mis, dictos undecim cum medio mansos
cum iure et utilitatibus praescriptis, tenere,
habere, regere, gubernare, utifruui, pacifice et
quiete perpetuis temporibus possidere, nec
non dare, donare, vendere, commutare, aliena-
re, obligare, et ad usus suos beneplacitos con-
vertere, prout sibi et suis successoribus legiti-
mis melius et utilius videbitur expedire, no-
stra tamen et nostrorum successorum volun-
tate more solito in praemissis principaliter
requisita. Et ut praedicti undecim cum medio
mansi eo celerius collocentur, ac ad uberio-
res fructus et utilitates perducii valeant,

ipsos

ipsos undecim cum medio mansos in lon-
 gum et latum, de iure Polonico in ius Theu-
 thonicum, quod Culmense dicitur, transferi-
 mus, transponimus et transmutamus, cum
 omnibus dispositionibus, conditionibus, punctis,
 articulis et clausulis universis. Verum quia
 pro huiusmodi iuris et gratia donatione, om-
 nes et singuli incolae in ipsis mansis
 locati et locandi, de quolibet manso culto et
 possesso, singulis annis, perpetuisque tem-
 poribus, pro quolibet sancti Martini festo
 confessoris et episcopi venerandi, ratione an-
 nui census nobis et nostris successoribus
 per sex grossos monetae communis dare
 et solvere teneantur, in cuius recompensam
 volumus, quod incolae praedictorum manso-
 rum, ab omnibus nostris solutionibus, tra-
 ctationibus, contributionibus, laboribus, redditibus,
 et a ceteris collectis, vexationibus, gra-
 vaminibus ipsius iuris Polonici, angariis,
 praeargariis generaliter universis, sint
 soluti, liberi penitus et exempti, castrorum
 nostrorum quorumlibet laboribus duntaxat
 exceptis, ad quos incolae praedictorum manso-
 rum, una cum aliis incolis in simili iure
 Chulmensi locatis transire tenebantur toties
 quotiens fuerit oportuum. Et etiam
 praesertim excepto, quod cum nuptias no-
 stras, aut puerorum nostrorum uxus ubi-
 usque nos divina dispositione celebrare, aut
 terram

terram redimere, vel aliam emere, seu, quod
absit, nos, aut quempiam ex filiis nostris
captivitatem incurere contigerit, tunc vo-
lunus quod incolae mansorum præscripto-
rum, tantam et talem nobis et nostris suc-
cessoribus persolvant exactionem, quantam
et qualem super alias villas in simili-
bus generaliter duxerimus impo-
nendam. Præterea absolvimus prædictos in-
colas ab omnibus nostris iudiciis, omni-
um iudicum, subiudicum, palatinorum, ca-
stellanorum, officialium, et ministerialium
quorumcunque, ita quod de cætero per eorundem
non iudicentur, neque utentur, et citati non
compareant, pena eorundem nulla sequente,
nisi coram prænominato Petro, et ipsius
successoribus legitimis, aut eorundem scul-
teto, iure proprio Theuthonico Culmensi uni-
cuique de ipsis querulanti ad obiecta re-
spondebunt. Item damus prædicto nostro
fidei, et ipsius successoribus legitimis, quod
quotiens et quocumque incolae prædicti
mutuo se occiderint, integram penam hu-
iusmodi capitis recipiant. Cum vero proprius
us extraneum, aut extraneus ipsorum pro-
prium incolam interemerit; tunc volumus
quod medietatem huiusmodi pene capitalis
pro se tollent et levabunt. Interea damus
eidem Petro nostro fidei, et ipsius legiti-
mae posteritati, omnes causas tam magnas,
quam

quam parvas, criminales et civiles iudicare
 infra granicis predictorum manuum,
 carceres et patibula erigere, omnes excessus
 et delicta punire, equalitatem pene
 pro equalitate criminis imponendo, licet vindi-
 cta sanguinis, mutilationem membri, aut
 ultimum supplicium exigat vel deposcat.
 Insuper cupientes ipsum Petrum melio-
 ris gratie prerogativa reddere consolatum,
 ipsum ac ipsius successores legitimos
 absolvimus ab omnibus iudiciis commu-
 nibus, omnium iudicum, subiudicum, pal-
 latinorum, castellanorum, officialium et mi-
 nisterialium quorumcumque, tanquam hic
 nominatorum et specificè expressorum, sic
 quod de cetero per eosdem non iudicentur,
 neque citentur, et citati non compa-
 reant, pena eosdem ob non comparitionem
 et non responsionem nulla sequente,
 ad presentiam autem nostram quocum-
 que citatus aut citati fuerint, totiens uni-
 cuique iuri parere et respondere tenebun-
 tur, iustificaturi de ipsis querulanti, in
 perpetuum. Præterea absolvimus et liberamus
 eundem Petrum, et ipsius successores legi-
 timos ab omnibus et singulis penis tam
 magnis quam parvis, omnium iudicum,
 subiudicum, palatinorum, castellanorum, offi-
 cialium, et ministerialium quorumcumque, tan-
 quam hic nominatum et specificè expresso-
 rum

rum, ita ut quotiens et quocumque eandem
penas fuerint, et in ipsis iudicialiter conde-
mnati fuerint, totiens illas nulli de numero
honoratorum prescriptorum solvere teneantur,
pena quinquagenali duntaxat excepta, cui-
us pene quinquagenalis nobis et nostris
successoribus decem, iudici duos, subiudici ve-
ro unum grossos grossorum in medijs gros-
sis, totiens quotiens eandem incurrerint iudic-
ialiter, dare et solvere tenebuntur, et presen-
tibus sunt astricti perpetue et in eum.
In cuius rei testimonium sigillum nostrum
maius de certa nostra scientia presentibus
est appensum. Actum et datum in Crechonow
feria sexta die sancte Sophie, anno Do-
mini millesimo quadringentesimo octuagesi-
mo. Presentibus dominis Johanne Lypsky Wyznen-
si, Iacobo de Polynyno Crechonoviensi castellanis,
Alexio de Nadarzino succamerario Warschovien-
si, et aliis quam pluribus fide dignis testi-
bus circa premissa. Scriptum et datum per
manus venerabilis et egregii viri magistri Pe-
tri de Chothkow prepositi
sancti Michaelis, et canonici Ploensis ac
Warschoviensis et Loviensis, nec non in Ma-
kow curati ecclesiarum, curieque nostre can-
cellarij, qui presentia a nobis habuit in commissis.

Ta kopia prepisana z oryginalu pergaminowego
dnia 9. Stycznia 1785. Roku. Miejsca opuszczone
wylarte sq w oryginalu. Pieczęci przy nim
niemasz, znak tylko, że była zawieszona pozostał.